



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vita Reverendi Patris Martini Stredonij Soc: Jesu**

**Schwertfer, Wenzel**

**Pragæ, 1673**

Caput VIII. Quomodo Virtus ipsius è parietibus probationis egressa,  
Studiorum tempore illuxerit? Qum normam in Studijs & Colloquijs  
adhibuerit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43132**

Transacto sic biennali Tyrocinio, conspectus est Martinus in Virtute adolevisse, dignusque ob insignem ad Institutum habitudinem, qui amplioribus vinculis, votis inquam Religiosis vincendus judicaretur. Admissus ergo ad vota 26. Septemb. Anno 1610. amplius & ipse pariter se obligatum esse Divinæ Majestati advertit, emergensque velut è clibano Probationis, ardorem quidem sibi semper retinere, lucem verò deinceps etiam publico communicare incepit.

## C A P U T VIII.

Quomodo Virtus ipsis è parietibus Probationis egressa, Studiorum tempore illuxerit. Quam normam in Studijs & Colloquijs adhibuerit.

**M**issus 28. Septembris Anno eodem 1610. ad Studia Græcium è Tyrocinio virtutis, ut altioribus Philosophiæ principijs imbutus, sibi & alijs ab utroque, à pietate scilicet ac litteris prodesset. Vix in Lyceò illo Sapientiæ, oculis gravium & doctorum  
viro-

virorum objectus fuerat, cùm aliquid in Martino singuli observare, nitidius quidpiam & selectius suspicere, novumque Aloysium Collegijadyta incolere, imò Angelum Societatis vocitare cœperunt. Tum apparuit, quem virtutis thesaurum Brunâ secum attulerit, quando passus etiam Angelici ut videbatur Juvenis, gravitas in Juvene supra ætatem, modestia in incessu, parsimonia in loquendo, pondus in verbis, observantia in regulis, sapientia & prudentia in discursibus observabatur. Et quia cum litteris sibi & virtute simul agendum esse intellexit, ità utrumque conjungere studuit prudens arbiter, ut principale quidem res animæ putaret, animi verò culturam, accessorium. utrique autem dominaretur ex gratia DEI & luce Rationis.

Et pro virtute quidem excolenda, atque in sublimius evehenda, duo illa principia *Observantia ac negligentia* arctissimè tenebat. observando nimirum minima quæque, ut exactione punctuali singula faceret, quæ Regula præscribit vel Divina gratia cælitus inspirat; fugeret autem omne, quod vel umbram negligentia offundere tentaret. Et quia sunt certi scopuli studiorum tempore, ad quos liberiùs navigans Juventus aliquando allidit, unus præsertim multiceps scopulus, qui *Spiritus laxitatis* vocatur,

tur, ideo eminus etiam hoc monstrum abhorrebat, abducebátque ceteros në infami à naufragijs promontorio appropinquarent. útque meliùs larvas illas noscere ac fugere sui Socij possent, verbo & exemplo suaviter à quibusdam principijs & actibus in spiritum laxitatis inducentibus, abnavigare docebat.

Ajebat *Spiritum Laxitatis* olère: licentijs interpretativis liberiùs uti; è cubiculi statione, temporis fallendi vel nova è seculo hauriendi gratiâ, prodire; liberaliores sententias & doctrinas, quæ solvendis ferè casibus & consequentibus magis, quàm in directionem antecedentibus adhiberi solent, in praxim destinare; graviorum Patrum colloquia & favores ambire; fumos & humores triclinij venari; flosculos vanitatis circumferre ac odorari; sua commoda & lucra meditari; cultiores Camillos alloqui, absque licentia vel necessitate portam Domicilij crebriùs adire; brachijs arundineis patronis inquam inniti; reculas nitidiores (crepundia secularia potiùs quàm Religiosa) corradere, alijs oculos quàm Crucifixi speculo pascere, levitates in agendo & loquendo arripere; spiritûs nutrimenta quotidiana (pabula ceteroquin diaria) in septimanas vel menses trajicere; emissi ad pabula corvi socium esse, neque columbinâ simplicitate Arce Præsidi, vireant<sup>ur</sup> foris omnia

omnia, referre, & his similia spiritûs laxamenta quæ Martinus velut pestem ac ruinam Juventutis execrabatur.

In genere porrò studiorum ac profectûs, eum jam Discipulus modum usurpabat, quem doctissimi quique Magistri usurpant. reducere scilicet ad magis probabilia, ad verosimilia, ad veritates ipsas, ad ultima principia, & quædam secura fulcra, ita ut rebus occurri, de omnibus ratio reddi, solidè inniti, ac velut facibus, in reliquis caliginosis opinionibus moraliter tutè gradi liceat. Ex hoc in speculativis processu, connaturaliter in Prudentiæ moralis regulas subintravit, quibus in omni eventu & occurssu difficultatum, velut Magister præsens, cum promptitudine ac veluti possessione quadam consilij, neruosè occurrebat hòc feliciter, quòd hæc omnia sua principia, Ultimato Principio, DEO scilicet, quem unicè intendebat, examissim dirigeret. Et quia hæc profundè animo suo insculpsit, ideo factum, ut si prodiret aliquando in publicum, ad excellentis ingenij demonstrationem, successumque optimum, prodire notaretur. quâ etiam praxi Vir maturus omnes Societatis Magistros, & in publicum quocunque modo prodeuntes, imbutos esse vehementer cupiebat, ut omnia severè priùs

cenſurata domi, oculis demum atque auribus venuſta foris proponerentur.

Notaverat etiam ſagaciter, quòd nulla penèlues univerſitatem quamvis humanam, quàm *univerſitas malorum*, lingua inquam, in perniciem adducere ſoleret. idcirco ſibi eam verborum parſimoniam indixit, ut pauciſſima quoad vixit, præter debitum loqueretur. Ut verò conſeſſo tempore ad loquendum, à menſa præſertim à linguæ offendiculo, quo ſe aliòſque ac DEUM offendi pronum eſt, tutior, & auribus alienis acceptior eſſet, non temere ſibi prodeundum ratus in hanc linguæ palæſtram, diligenter proſpexit de Modo ac Regulis, quibus more ſuo, ſicut in omnibus actionibus ſervare conſueverat, ad Principia reduceret hoc ipſum exercitium. Tria ergo debere obſervari conſuſit. 1. *Intentionem*. 2. *Materiam*. 3. *Formam*. & ex his tribus, *Praxim*.

Finis & *Intentio* hujus à menſa Relaxationis eſt: quies interponenda contentioni laborum. deinde, ſanitas corporis commodior, functionibus mentis fideiùs ſervitura. tum diverſio moleſtiarum & periculoſorum incurſuum, qui ſolitarios & ſilentiarios eo tempore ſolent invadere. Excitatae ac exercitæ humanitatis fructus ſingularis, quæ ratione & oratione à DEO dotata, alterâ ſuæ dotis parte honeſtiſſimè

simè demulcet colloquentes. Post hanc bonum & jucundum mutux charitatis experimentum & augmentum, quæ ut silentio languet, & marcescit, ita suavitate sermonis recreata ac vegetata revirescit. Communicatio demum latentium gratiarum, quæ dum se ex arcano cordis thesauro per affabilitatem effundunt, non solùm sui ardens desiderium, sed vehementem etiam imitandi conatum excitant in audiente. ac denique ars perfecta rectè, religiosè, ac piè loquendi, quæ compendiosius per frequentata colloquia, quàm per Pythagoricum silentium comparatur.

*Materiam* Religiosis colloquijs, latè patentem & copiosam offerri. De rebus Divinis, quas quisque vel ex lectione, vel ex auditione, vel ex meditatione didicisset. De cœlesti Providentia res humanas moderante, quam vel propriâ vel alienâ experientiâ deprehendisset. De ordinario Mundi cursu, & naturarum progressu extraordinarijs DEI decretis variabili. De vita Christi & SS. de varietate viarum ducentium ad salutem, & ab ea abducentium. De novissimis Hominis, Morte, Judicio, Inferno, Paradiso.

De Statibus Ecclesiæ Sæcularis ac Regularis, eorùmque commodis & incommodis. De determinatione singulorum per certas vocationes

ones ad certam vivendi rationem. De Regulis & pijs consuetudinibus proprii Ordinis ac Instituti. De perseverantia usque in finem Vitæ in rectè suscepta vivendi formula. De proficiendo semper ex bono in melius, & pro mensura collatæ ad summos perfectionis Divinæ Gratia gradus enitendo. De æterna quiete ac felicitate post momentaneos ac breves hujus vitæ mærores exhaustos & labores exantlatos. Qui igitur eam materiam colloquij retinerent, nihil illis metuendum erat nè rerum scurrilium ac indecentium, aut quocunque modo reprehensibilium narrationibus Angelos contristatos à suis cætibus repellerent, & sordidissimis de inferno bestijs in loco colloquij, abominabile volutabrum aperirent.

Nè tamen in *Forma* aliquid delinquatur, Colloquia hæc neque Concionum aut Sententiarum prolixitates; neque solutas & acres disputationum contentiones, neque sublimes ascensus, aut profundos descensus contemplationum, neque infinitos tractus longarum fabularum habere oportet; sed concisa instar brevium Dialogorum, in quibus differentes omnes alternatim loquantur & audiant. Possent ac debere esse elegantia & urbana sinè affectatione, jucunda & hilaria sinè clamoribus & cacin-



chinnis; libera cum debito respectu erga præsentes, viva & excitata, sinè levitate & motibus indecoris; fortia sinè contumacia, & inflexibili studio vincendi; gravia sinè morositate & supercilioso fastu. Si incalescant, neque ad blanditias, neque ad iras extendi fas esto. Si acumen contineant, ad nullius puncturam dirigenda; si falsa, non spargenda cum alterius amarore, molestia & disgustu; pietatem autem semper oleant, ut audientes ædificentur.

His suppositis præceptis, nunquam quoad *praxim*, Martinus noster ad Locutorium, pedem promovit, quin præmitteret: Lingua quo vadis? eâ verò reddente: ad Colloquium; subjicebat ipse: Quare? quid? quomodo? cuique locutura? & responso non expectato ex arte sua loquendi, præcipiebat imprimis, ut non temerè ex usu, vel ad fallendum tempus duntaxat loqueretur, sed ex intentione una aliqua vel pluribus earum, quæ jam fuerant enumeratæ. *Quid & quomodo*, juxta materiam & formam, superiùs indicatam. Quæstionem *Cui?* per Majores, Minores & æquales expediebat, itaque colloquium in praxi ordinandum statuebat. Post Intentionem stabilitam & præmissam Sancti Prophetæ precem: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantia labijs meis*, Materiâque paratam, ubi perventum fuerit

F ad

ad colloquentes, inquit, si ipsi priores occupent colloquium, non est profiliendum, sed delitescendum tantisper, donec necessitas impetret ejus evocationem. Auspicaturus verò colloquium apud Majores, materiam in forma dubij, tanquam erudiendus discipulus reverenter proponat. Apud Minores comiter de ea sensum explicet, & ipsorum de eo judicium exploret; apud æquales, sinè arrogantia, potiores partes alijs deferendo; hoc vel illud, quod cum majoribus, minoribusque agendum erat, opportunè usurpet. Notans alienam facundiam arefcere, affundat materiæ ex similibus, contrariis, adjunctis vigorem. Si ea omnino defecisset, substituatur modestè ex latebris præparatam suam. Si quando irreligiosa colloquium occupet, aut aliter vetita, commutet eam immisso cuneo contrario prudenter, aut injecto etiam disparato imprudenter ad speciem, revera autem prudentissimè vel taciturnitate, atque verecundia tanquam frigida superinfusa extinguat. Dato signo ad finem colloquij, sinè mora assumat silentium, & actorum damna vel lucra cognoscens, Beneficum DEUM gratijs, misericordem pœnitentia veneretur.

Ut autem uberior afflueret Materia pij atque utilis colloquij, duodecim præterea fontes facundiæ spiritualis, adinvenit, sequè hoc pen-

nu

nu instructus; Patri Dominico Valesio, viro ad Zelum spirituali, & hujusmodi colloquiorum incentori, socium adjunxit, ac deinde per vitam observavit ut aliqua è sequentibus materijs in medium prodiret.

C A P U T IX.

Duodecim fontes, è quibus Colloquia Utilia derivari possint, inventi à R. P. M A R T I N O.

**I**N sensu sit tibi cogitatus D E I, & Ecclesi. 9. 23. omnis enarratio tua in præceptis Altissimi. Sic instruebat Ecclesiasticus quamvis animam, ut non aliter sensum quemvis moveret, illòque uteretur, nisi secundùm Regulam hanc, ut cogitatus D E I motum omnem gubernet. linguam verò, præ sensibus alijs lubricam, ità coërceat ac constringat, ut vel non nisi de D E O loquatur, vel ità cautè ac parcè, ut præceptum Altissimi ad loquendum expectare videatur.

Ità sentire, sensibusque uti, ità loqui Martinus noster decrevit. quod ut faciliùs assequeretur, duodecim sibi Regulas, velut fontes adinvenit, è quibus in præceptis Altissimi enarratio